



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Expedita Juris Divini, Natvralis, Et Ecclesiastici Moralis Expositio

Tamburini, Tommaso

Coloniæ Agrippinæ, 1665

parag 1.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40132

LIBER SEPTIMVS DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I

§. I.

Quid sit Ordo, & Quotuplex.

1. **O**Rdo, seu Ordinatio est *signum sensibile, quo spiritualis potestas cum impressione Characteris tribuitur viro baptizato circa Eucharistiam, qua conficiendam, qua ministrandam.*

2. Signatè autem dicimus (circa Eucharistiam) omnes enim Ordines relationem, seu habitudinem habent, sive remotè, sive proximè ad unicum Eucharistiæ sacrificium, vel conficiendum, vel ministrandum. Nam propterea licet illi plures sint, tamen, quia omnes habent prædictam moralem unitatem per eandem relationem ad Eucharistiam, unum sunt Sacramentum, lege Bellarmianum, a & Marchinum. b

3. Ordines autem esse septem, id est, quatuor Minores, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcizatium, Acholitatum, tres verò Majores, nimirum Subdiaconatum, seu Hypodiaconatum, Diaconatum, & Sacerdotium, vel pueri non ignorant: quorum officia dilios citat, cam inferius.

4. Primam Tonsuram, & Cardinalatum non esse Ordines, Episcopatum verò non esse diversum Ordinem à Sacerdotio, sed ejus extensionem quandam, qua Episcopo datur potestas ordinandi Sacerdotes, Episcopos, & denique Archiepiscopatum, & Papatum non esse Ordines diversos ab Episcopatu, seu à dicta extensione Sacerdotis, satis sit innuere: Quina de legantur Doctores e passim.

5. Solum nota, ex eo, quod Episcopatus est extensio Sacerdotii, sequi, nullitè, & invalidè ordinari in Episcopum, cum, qui Sa-

cerdos non est, quia Episcopatus prærequirit essentialiter Sacerdotium; quod non ita est in aliis Ordinibus. Nam quamvis illicitè quis initiaretur v. g. Sacerdotio, si præcedentibus Ordinibus careret, validè tamen initiaretur, quia Sacerdotium non essentialiter, sed solum ex præcepto, illos alios Ordines supponit.

§. II.

An omnes sint Sacramentum.

1. **M**inores quatuor, esse Ordines, certum est, quia tales pronunciat Tridentinum: d & meritò, quia faciunt gradum, seu Ordinem in Ecclesia supra Tonsuram insignitos, quæ tonsura est janua, seu fundamentum Ordinum, non Ordo.

2. An verò Minorum horum Ordinum collationes sint Sacramenta, dissentiunt Doctores. Vasquez e latè probat non esse, Sanchez f tamen cum communiore, & probabiliore sententia esse, probat; quos Doctores, si estotium adi.

MAJORES.

3. Subdiaconatus collationem esse item Sacramentum, est longè probabilius: quamvis fatear, opinionem dicentem non esse, in censuram vocari non posse, eam enim nonnulli Docti sequuntur, vocantque probabilem.

4. Quod autem collatio Diaconatus sit Sacramentum, videtur accedere ad certitudinem fidei. Lege Aversam g loc. cit. sect. 3. tra. 1.

5. Denique Sacerdotium, & Episcopatum, prout includit Sacerdotium, de fide est, esse Sacramentum. At prout superaddit extensionem dictam §. præced. hu. §. licet probabile non

a Bellar. lib. 1. de Ordine c. 1.
b March. de Ordine p. 1. cap. 15.
c Bellar. lo. c. r. 50.
d Leand. de Ord. dist. 1. q. 5. c. 10.
e q. 14.
f Sanc. in exton. lib. 7. c. 10. dist. 9. Casp. de Ord. p. 3. n. 3.
g Quina de Ord. singul. 4. tra. 3.

d Triden. sess. 23. Can. 2. de Sacram. Ord. c. 1. q. 2. p. d. 17. Alioq. quosdam Leand. de Ord. d. 1. q. 6. f Sanc. in exton. lib. 7. c. 1. dist. 9. q. 6. Aversam de Ord. tra. 1. sect. 3. Casp. de Ord. p. 3. n. 3. g Aversam de Ord. tra. 1. sect. 3. tra. 1. c. 2. p. 1. cap. 1.